Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 955
Quelle:
Copyright:

Non habuerunt Editores *Colon.* 1688. T. V. f. hunc *Elenchum*, ad cujus calcem: *Expliciunt Capituli Feliciter*, et mox: *Incipit Expositio In Luca. Liber Primus. Deo Gratias. Amen.* Initium: *Beatus aeuuangelista lucas de omnibus quae cepit ihesus facere et docere* &c. Ita et reliqui Libri. Ad initium tamen Sexti *fol.* 168. p. 2. additur minio: *XC Bō Non Conaci.* Suspicor, innuere Librarium, haec se non *Conaci* (Coignac in Tractu Engolismensi Gall.) scripsisse, sed quis locus esse possit *XC Bō*, non divino. Finis totius Operis: *sed in laude dei et benedictione conclusit. Amen.* Additur: *Explicit Expositio In Luca Liber VI. Deo Gratias Amen Fiat Fiat.* Membranae hinc inde valde detritae sunt. Textus quidem correctione infra Edita est; inspici tamen mereretur ab iis, qui *Bedae* Opera sub prelum revocare vellent. Ita in Prooemio pro: *novit penitus esse detestanda*, quod habent Edita, reponendum e Codice: *noverit*, et paullo inferius, ubi legunt: *quam unum quatuor*, addendum: *librorum.*

CCCCXIII.

R. 13 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 164. f. per duas columnas eleganter exaratus, coloribus amoenus et *Carolo* VI. Aug. oblatus ab *Apost. Zeno* ejus Poeta et Historico a. 1723. complectitur Ven. *Bedae* Presb. Expositionem *Evangelii S. Lucae. Incipit epistola acce episcopi ad Bedam Presbiterum. De postulanda expositione in Lucam.* De celebri hoc *Acca* e 10. Episcopis *Hagustaldiensibus*, sive *Hexhamensibus* tertio, qui a. 740. obiit, adi *Tanneri Bibl. Brit. Hibern.* Init Epistola: *Reuerentissimo in christo fratri* &c. *Sepe quidem tue sancte fraternitati et absens scribendo* &c. Sequitur illam: *Epistola uenerabilis Bede presbiteri ad accam episcopum: pro concessione exposicionis in lucam*, cujus initium: *Domino beatissimo* &c. *Mira uere est et uere mira* (uera mire?) *doctoris egregii sententia* &c. Hanc excipit Elenchus *Capitum* Operis in VI. *Libros* tributi, quem non videntur habuisse Editores *Bedae Coloniensis*, utut eodem T. V. Expositioni in *Jobannem* simile quid praemiserint. Censent illi *Capita* in *Lucam* XCVII. *Codex* vero noster XCV. quorum Prooemium ita orditur: *Beatus Euangelista Lucas de omnibus que cepit ihesus facere et docere* &c. ut T. *cit. col.* 217. Integrum Opus hac miniata, viridique alternis clausula terminatur: *Explicit Liber Sextus Exposicionis Uenerabilis Bede Presbiteri In Lucam Ad Accam Episcopum.* Quod si olim de *Beda* curatius, quam quidem *Coloniae* factum est, edendo ageretur, non negligendum foret Exemplar istud, ut vel e collatione *Epistolae Accae* liquet, quam addo:

Codex: